Q. D. O. M. B. V.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM MEDICAM

DE

DOLORE FEBRIVM ACVTARVM

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

WILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE COMITE SAYNAE ET WITTGENSTEINII RELIQVA

PRAESIDE

SIMONE PAVLO HILSCHERO

MEDICINAE DOCTORE THEORET. PROF. PVBL. ORDINARIO SERENISSIMIQVE DVCIS SAXONIS GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS A CONSILIIS AVLICIS

PATRONO ATQVE PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

CAROLVS GOTTLOB RVCKERVS

ZITTAVIENSIS.

DIE AVGVST. CIↃ IↃCC XXXVIII.

Raro medela fallit, quem non fefellit caufarum indagatio. CELS.

IENAE, LITTERIS CROEKERIANIS.



§. I.



xperientia teste discimus, omnes totius corporis animalis, tam viui, quam mortui, fibras molles certo modo tensas esse; inflicto enim parti cuidam molli vulnere, mox huius labia, ex fibris constantia dissectis, sponte a se inuicem retrocedunt. Istam vero tensionem adpellamus naturalem.

§. II.

Instrumentum acutissimum celeriter parti molli, sanae, admotum, non adeo ingentem excitat dolorem: contra, si eiusmodi pars instrumento denticulato, vel obtuso, lente discindatur, dolor illico percipitur acris. Dolores, ablato instrumento agente, in vtroque casu ad tempus mitescunt. Suppuratio consistit in dilaceratione vasculorum obstructorum, distentorum, effluxione ex iisdem liquidorum, horum aeque, ac illorum, contritione, mistione, ac mutatione in materiam pultaceam, a vi vitae institutis. Inflammatio, si in suppurationem tendat, dolores, immo interdum ferme intolerabiles, in corpore humano producit, qui

tam diu durant, donec ſuppuratio finita eſt: ſiue quam primum dilaceratio vaſculorum antea dictorum facta eſt. Vaſcula denti cuidam inſinuata vbi tenduntur, excitatur odontalgia; facta eorum diſruptione, quippe quae oleis ſtillatitiis aromaticis, & vſtione maturatur; dens non amplius nobis condolet. Eradicatio dentis lenta idem docet: nam in ipſo actu ſummus quidem excitatur dolor, qui autem poſt euulſionem peractam breui imminui, vel etiam penitus perire ſolet. Ideo dexterrimi & prudentiſſimi chirurgi, ne dolores prorogent, vno ictu & impetu tales operationes vt abſoluant, omni ſtudio contendunt; & hoc pacto amputationes membrorum cultris acutiſſimis & fortibus quoque peragunt, vt aegri ſaepe vix credant, operationem eſſe peractam: nam dolor momentaneus pro nullo fere eſt habendus.

§. III.

Cum facta tenſione fibrarum mollium viuarum fit dolor, & ablata tenſione abit dolor: ſequitur, vt dolor oriatur a tenſione fibrarum mollium, vita praeditarum.

§. IV.

Quando neruus plane diſcinditur, infra vulnus inflictum & partem, ad quam eius fibrae nerueae deſcendunt, non percipitur actio corporis, dolorem alias producentis: ſupra vulnus vero, hoc inter, & principium neruorum, eadem corporis, dolorem producere valentis, actio dolorem procreat.

§. V.

Prona ſequitur conſequentia, vt dolor fieri haud poſſit, ſi nerui vel fibrae neruorum integrae non exiſtant, ceſſante ſcilicet communicatione iſtorum cum principio neruorum.

§. VI.

§. VI.

Ligetur nostri corporis neruus vel fibra neruea, cessabit doloris sensus in parte per ligaturam ab altera ista, cerebrum versus progrediente, separata. Pari ratione homines plene & perfecte apoplecticos, eosque, quibus sufficiens quantitas opii ante aliquot horas data est, ob principium neruorum cerebri, & spinalis medullae obstructum, nullum dolorem sentire, notum est.

§. VII.

Vel ipsa igitur experientia nos conuincit, in plane obstructis neruis vel fibris nerueis possibilem non esse doloris existentiam.

§. VIII.

Cum tensio producat dolorem; tensio vero locum habeat in omni nostri corporis statu, & talis modo doloris existentiam permittat, qui neruos integros, & non obstructos supponit: concludimus, dolorem esse a tensione nerui, vel neruorum integrorum, & non obstructorum.

§. IX.

Verum enim vero, si in animali viuo neruus quidam medullae cerebelli integer & sanus vltra modum naturalem extendatur, tunc non doloris, sed alia e tali tensione oritur sensatio, plenitudinis nimirum, & tandem anxietatis: quae eo fit maior, quo plus distractio istius nerui increscit. Confirmat hoc obseruatio facta, videlicet, si partes hominis vitales, vt cor, arteriae maiores, pulmones &c. ad quas neruorum cerebelli maximam partem descendere omnibus notum est, morbo quodam tententur, hoc laborantem nullum dolorem, sed potius plenitudinem, & anxietatem pro gradu mali maiorem, vel minorem, percipere. Vid. BOERHAAVIVS *in praxi med. Tom. I. de dolore.*

§. X.

Remotis igitur ex hoc principio ortis neruis, illi, qui ex cerebri, & ſpinalis medullae principio proueniunt, ſuperſtites manebunt pro dolore efficiendo.

§. XI.

Lubentiſſime etiam concedimus, non omnem tenſionem neruorum potentia dolorem producendi gaudere: vel quotidiana enim amicorum inter ſe conſuetudo, vbi alter alterum blande palpat, nos docet, hunc exinde non ſentire dolorem, qui tamen notabiliter ſatis percipitur, cum alter alterum fuſtibus excipit. Sed hae duae actiones neutiquam, niſi in gradu minori, vel maiori, a ſe diuerſae ſunt, ita, vt iſta naturalem, haec naturali maiorem, tenſionis gradum producat; igitur dolor oritur a tenſione, & quidem naturali maiore. Quam diu enim tenſio fibrarum vbique aliqua in parte eſt aequalis & naturalis, tam diu nullum dolorem percipit animal.

§. XII.

Ex ante dictis ſequitur, vt dolor ſit ſenſatio moleſta, a cuiusdam corporis actione proueniens in animali viuo, huius neruum cerebri, vel ſpinalis medullae, integrum, nec obſtructum, vltra modum naturalem, violenter, extendentis.

§. XIII.

Ergo corpus animale mortuum nunquam excruciari poteſt dolore. Proficiſcitur hinc ratio, cur plene & perfecte apoplectici, vel alio affectu ſoporoſo grauiori laborantes mortui ſaepe putentur, ſi poſt adplicationem inſtrumentorum, ſanis iisdem admodum dolorificorum, nulla doloris percepti ſigna edunt.

§. XIV.

Ergo corpus animale viuum nunquam adfici poteſt dolore,

dolore, nisi huius integrae fibrae nerueae & non obstructae cerebri, vel spinalis, medullae, vltra modum naturalem, violenter, tendantur.

§. XV.

Doloris ortum, variumque eiusdem genus, ita nobis sistimus: quo magis tensio nerui uiui increscit, eo magis parietes huius accedunt ad se inuicem; eo magis premunt spiritus; eo magis cedunt spiritus versus principium neruorum; eo magis spiritus irritant principium neruorum; eo magis sentit anima tensionem nerui; Ergo quo plus neruorum tensio increscit, eo fit dolor ferocior. Contraria e contrariis elucent.

§. XVI.

Ast, cum dolor sit perceptio nata e tensione cuiusdam nerui; & tensio sit actio: actiones vero gradu differre possint; different quoque dolores inter se gradu: quo enim propiores nerui sunt rupturae, eo sunt dolores vehementiores; contra, quo leuior neruorum tensio, & naturali propior, eo mitiores dolores erunt. e. gr. vulnere illato non statim sentitur dolor; postquam autem retractio frustorum solutarum fibrarum ex parte facta est, tunc; quia fibrae vel semi disciffae, vel reliquae adhuc integrae, vel vtraeque simul, a frustis discissarum fibrarum magis magisque se retrahentibus, illisque ope membranularum cellulosarum copulatis, fortius trahuntur, ac tenduntur, quam antea; aliqualis dolor rursus mouetur, qui sensim amplificatur, quo magis horum retractio, illarum vero tensio, increscit. Item pili, qui aliqualem cum neruis connexionem habent, paululum tracti, titillationem; tractione uero aucta, dolorem; &, pro augmento tractionis, gradum doloris maiorem; imo, tales tensi, si vltimato ocius euellantur, repentinum, maximum, haud diu durantem; dum ner-

ui

ui rupturae ſunt proximi; doloris, cum conuulſione, gradum excitant; qui, euulſis pilis, illico plane ceſſat. Gradus doloris ferme omnes nobis quoque exhibent torturae modi, vtpote quorum tres in Belgio vſitatiſſimi omnium ſunt: primus eſt membrorum elongatio; ſecundus horum intorſio; tertius compreſſio fibrarum ad apices digitorum; quibus partium mollium fibrae a tenſione naturali vſque ad ruptionem pene ſenſim ducantur. Vt autem carnifices in criminum reis dolores magis exaſperent; artuum diſtractorum oſſa e ſitu naturali dimouent, ac tum aquam frigidam, & ſalem communem, cuti inſpergunt, ac infricant; quo pacto ob dolores in ipſis ad ſummum prope nunc auctos miſerrimas querelas & gemitus, immo totius interdum criminis euocant confeſſionem. Miſeris illis hominibus carnifices poſt conſummatam torturam membra diſtracta aqua calida & oleis molliunt, relaxant, doloresque hiſce remediis leniunt. Vid. BOERHAAV. Lib. cit.

§. XVII.

Per anatomen conſtat, cerebri medullam, & ſpinalem, haud exilem largiri copiam neruorum ligamentis circa articulos, membranisque magnis; interque has aeque, ac illa, copioſe ad reliqua deſcendere vtriusque medullae neruos.

§. XVIII.

Ex hoc itaque & prioribus facile explicari poteſt, quare grauiſſime inflammatis membranis magnis & ligamentis circa articulos tam ſaeui interdum oriantur dolores, de quibus rhevmatici, cynanchici, pleuritici, paronychia, phlegmone perioſtei, eryſipelate veſicae vrinariae, &c. laborantes miſerrime conqueruntur. Nam poſtquam ars ceraceam materiam iniiciendi oſtendit, inſertos tendines ligamentaque, quorum membranae neruis quoque ſcatent, arteriis copioſe eſſe ornata; inſuper obſer-

obſeruationes docuerunt, in arteriarum extremis ſemper oriri inflammationes; ſanguinemque, inflammatione facta, a vi vitae celeriter commotum, inque ea violenter impulſum, ipſa arteriarum extima fortiter expandere, hisque vicina de ſuo loco dimouere: ſequitur, vt neruorum dictorum multi, inflammatis membranis magnis, vel ligamentis, coniunctim quoque violenter tendantur. Cum igitur omnis effectus ſequatur ſuam cauſam; haecce ſi multiplicetur, ille quoque multiplicetur, neceſſe ſit: violentam vero tenſionem nerui eſſe cauſam doloris proximam, demonſtratum fuerit: hinc ſequitur, vt hac multiplicata, dolor ipſe, vt effectus illius, multiplicetur. Quoniam autem membranae magnae, vel ligamenta, ſi inflammantur, multi nerui ſimul tenduntur, per conſequens cauſa doloris proxima multiplicatur: ſequitur, vt, inflammatis membranis magnis, vel ligamentis, dolor multiplicetur, ac maior fiat. Sed inflammationes gradu differunt, & hinc neruorum quoque tenſiones. Maximam ergo inflammationem in dictis conceptam, qua vaſa crepaturae proxima ſunt, ſequitur maximus, ſiue ſaeuiſſimus dolor.

§. XIX.

Licet dolor valde moleſtum & odioſum morborum ſymptoma, nec non cauſa atque fons multorum, interdum quoque intolerabilium fere, malorum ſit; bonum tamen nobis certo modo praeſtat officium: nam inſtar fideliſſimi cuſtodis ſignificat, partem, morbo laborantem, in periculo eſſe, inque iſtius regione quoddam haerere, quod deſtructionem partis minetur; & ſic hoſtem, ſiue cauſam deſtruentem, palam facit, quae alias, ſi communi naturae ſenſu deſtitueremur, totam noſtri corporis machinam cito deturbaret, antequam eam e. gr. combuſtionem, corroſionem &c. animaduerteremus. Aeger antea diſtincte, nunc plane non, ſentiens,

tiens, ac nullum dolorem percipiens, vt apoplecticus, ad tempus viuere poteſt: aſt eius vitae ſtatus multo deterior eſt, quam acutiſſime ſentientis: quoniam hicce omnes vehementiae gradus vrgentis mali ſibi repraeſentare, indagare, auxiliaque medicorum implorare; ille vero ob compreſſionem in cerebro factam id non efficere poteſt. Ob eamque cauſam huius, qui raro reſuſcitatur, vita magis, quam dolores non ferendos percipientis, in periculo verſatur. Si vero homo apoplecticus liberetur a compreſſione cerebri, in partibus huic ſubiacentibus mox redit ſenſatio, nec minus dolor; ergo ſtatus reſpectu apoplexiae melior. Simile officium praeſtat anxietas: quo enim vehementius, inprimis quae febrim acutam comitatur, ingraueſcit, tanto magis indicat ea, viſcus quoddam vitale graui morbo eſſe oppreſſum, eiusque functiones impediri; harum enim grauior laeſio, niſi cito emendari queat, vitae periculum, imo ſaepe mortem inopinam imminere innuit.

§. XX.

Pulſus eſt expanſio arteriarum, facta a maſſa ſanguinea, in illas a corde ſe contrahente intruſa.

§. XXI.

Ex pulſu itaque iudicari poteſt quaelibet cordis arteriarumque vis, nec non motus maſſae ſanguineae.

§. XXII.

Cum naturali velocior pulſus adeſt omni febris tempore, ab initio ad finem, eoque ſolo medicus praeſentem febrim iudicat (a): ſequitur, vt velocitas pulſus ſit criterium febris perpetuum. Sed rei criterium perpetuum conſtituit differentiam ſpecificam: ergo velocitas pulſus erit febris differentia ſpecifica. Febris ergo eſt iſte morbus in quo pulſus naturali celerior ſemper praeſens eſt.

(a) vid. FRANC. de la BOE, Syluii prax. med. ideam nou. cap. 27. §. 1.

27. §. 1. Eiusd. Disput. med. de febribus, thes. 4. & 5. Hercul. Saxon. Pantheum med. select. Lib. V. cap. 17. 18. Eiusd. Tract. de pulsibus Lib. III. cap. 11. BOERHAAV. aphor. de cognoscend. & curand. morb. aphor. 570, 571.

§. XXIII.

Sed pulsus naturali celerior supponit similem caussam: haec cum necessario sit celerior massae sanguineae motus; hicce autem fieri non possit, nisi velocior cordis contractio antecedat: sequitur, vt facta velociore cordis contractione, & ab hac dependente motu massae sanguineae naturali celeriore, fiat pulsus naturali celerior: Dum igitur in febre semper hicce praesens: concludere licet, motum massae sanguineae semper naturali celeriorem existere in febre.

§. XXIV.

Hic motus, cum massam sanguineam pellat, & haec in vasis includatur: vel in ipsa massa sanguinea solum; vel in eiusdem vasis solum; vel in vtrisque simul nonnullae mutationes se ostendunt. Spectemus mutationes

I. in vasis: quia impelluntur parietes, quibus nerui sunt intexti, vasorum, & ad sui contractionem stimulantur per massae sanguineae contentae motum; impulsus eorum & stimulus est eo maior, quo maiori motus dictus celeritate increscit.

II. in massa sanguinea: quo celeriori motu mouetur eadem eo maior fit motus globulorum istius inter se; eo maior motus partium illos constituentium; eo copiosius liberantur igneae partes; hae eo copiosius admouentur ad massae sanguineae reliqua; eo maior fit actio ignearum in reliqua; eo maior calor excitatur; eo magis aër in reliquis contentus expanditur; eo magis partes massae sanguineae expanduntur; eo maiorem ipsa massa sanguinea patitur rarefactionem.

III. in vasis & massa sanguinea simul: ista per huius tam motum, quam rarefactionem duplicem vim extendentem ferre debent. Vnde nihil obstat, quo minus ex febri oriri possit dolor, quem cum febri coniunctum doloris febrilis nomine notamus.

§. XXV.

Cum igitur febris acuta sit febris; ista etiam febris effectus producere valeat: sequitur, vt febris acuta excitare possit dolorem febrilem, quem a febri acuta natum, & cum febri acuta coniunctum, dolorem febrilem febris acutae adpellamus. Sed quoniam terminus *dolor febris acutae*, longior est; in §is subsequentibus breuitatis causa in locum istius terminum breuiorem retinebimus, nimirum *dolorem febrilem* substituemus, sub hoc istum semper intellecturi.

§. XXVI.

Quae ergo febrim acutam, ea quoque dolorem febrilem, excitare valent. Et hae erunt causae doloris febrilis mediatae.

§. XXVII.

Sed sequentia febrim acutam pariunt,

1) *plethora commota*; quae facit intolerabilem calorem, rarefactionem massae sanguineae, congestiones, oppletiones, infarctus, stases, expansiones vasorum maiorum, compressionem minimorum, inflammationes, quas dolores sequuntur.

2) *omnes consuetae euacuationes retentae*; vt haemorrhagia narium, vteri, haemorrhoidum, transpiratio insensibilis, vlcera manantia &c. Tum humorum excernendorum copia retenta, a febre commota, rarefacta, in partem singularem determinata, congestiones in hac, stagnationes, inflammationes, & plurima alia mala

mala, ab inflammatione dependentia, inprimis in partibus operationibus animalibus destinatis &c. nimirum dolores, mouent.

3) *motus corporis & animi subitanei, continuati;* quibus humores corporis fortiter agitantur: ex qua agitatione praecedentium numerorum phaenomena sequuntur; quae eo vehementiora, quo maiori in copia existunt humores, sani, morbosi.

4) *alimenta vinosa & potentia calida, item remedia quaecunque stimulantia, acria, aromatica, volatilia, theriacalia, alexipharmaca, amara, vesicatoria, regimen nimis calidum, & id genus alia, interne & externe adplicata;* istorum incongruum vsum breui post, praecipue in febribus acutis adhibitorum, motus, calor, rarefactio humorum circulantium, per consequens distensio vasorum maior excipiunt; qui diu continuatus non attenuationem aut resolutionem obstruentium, & peregrini massae sanguineae commixti, sed potius difflationem tenuium & subtilium, nec non & reliquorum antea fluentium inspissationem, incrassationemque procreat. Vnde dolor, inflammationis augmentum, quod suppurationem, vel gangraenam; in locis tamen glandulosis, praesertim externis, interdum scirrhos, gignit. Inter remedia nocentia hic maxime quoque referenda sunt *auxilia mercurialia* praeparata, quae grauitate admodum magna in vasa obstructa arteriosa premendo agunt, liquida putrida fortiter mouent, ea corruptione etiam maiori inficiunt; vti hoc curatio, quae in saliuationibus adhiberi consueuit, nos docuit; imo vasa simul obstructa tritu destruunt. Hinc a datis remediis cinnabarinis in nimia quantitate cum salinis, in inflammationibus dolores semper exasperantur; & aegri, si ab eorum exhibitione medicus non abstineat,

 putre-

putredine cadauerosa, quod iam dudum diligentissimi obseruatores annotauerunt, moriuntur. Mercurialium enim remediorum vsus liquida in corpore benediluta, & vasa arteriosa libera, siue non obstructa, nec renitentia, vt medici saliuationem dirigentes testantur, semper requirit; quae alias sine hac conditione tristem effectum edunt.

5) *insueta assumta*, & *contagia* morborum acutorum communicata.

6) *omnis obstructio in canalium nempe arteriosorum extremis orta*; tunc enim a febre vrgente arteriae obstructae fortiter implentur massa sanguinea, & distenduntur: vnde dolores in cunctis morbis inflammatoriis, praesertim in tumoribus irritatis, e. gr. scirrhis, & ossium laesionibus violentis.

7) *viscidum inflammatorium*; quale a motu violento, aut febre ipsa, per aliquot dies continuatis, generatur. Per haec enim massa sanguinea liquidis diluentibus orbatur, inque spissam, & tenacem conuertitur materiam; quae sibi relicta si insuper fortiter commoueatur, acrem, & spissiorem, sibi adquirit naturam. Permeatura talis massa sanguinea non amplius permeare potest vasa permeanda. Hinc praecedentibus similia, interdum vehementiora, inflammationes nimirum, & dolores vehementes, facili negotio producit.

8) *quaelibet vis distendens & distrahens*; haec est in tumore membranarum inflammatione suscitato, siue ea sit morbus idiopathicus cum febre veniens; siue sit symptomaticus a febre productus. Ita in paronychia a febre valida dolor cito augmentum capit, adeo, vt post aliquot horas phlegmone vsque ad brachium cum summa inquietudine & quasi furore aegrotantium proserpat.

9) *omnes*

9) *omnes laesiones externae, violentae, partium corporis humani;* a febre accedente in fracturis & luxationibus ossium inflammationes cum atrocibus doloribus excitantur, illae, si in principio beneficio curationis antiphlogisticae non praecaueantur.

§. XXVIII.

Cum experientia nos edoceat, quod inquietudo, iactatio, vigilia, calor, siccitas, debilitas, sitis, motus conuulsius interdum, vomitus, delirium, animi deliquium, vtplurimum sequantur dolorem febrilem continuatum, & ab hoc illa suscitentur: sequitur, vt dolor febrilis sit caussa istorum phaenomenorum; haec autem istius effectus: qui non diu occultari possunt.

§. XXIX.

Resultat dolor febrilis a tensione nerui violenta: posita hac

1) pars dolens non patitur mentem quiescere, sed illam perpetuo turbat, quae, cum istud malum auersetur, de auxilio a quo dolor leuetur, cogitat. Propterea dolores euitare cupientes partem dolentem, imo totum interdum corpus, quod in omni quoque animalculo violenter laeso obseruatur, saepius ab alio loco ad alium trahunt, mouent, & tam diu iactant, donec aptum obtinuerint situm nerui, quo huius tensio imminuatur. Dolores, hac imminuta, relaxantur. Quoniam vero in summo dolore rarissime neruum commode ponere, eiusque tensionem imminuere queunt; constantem non seruant membrorum situm, sed semper ea iactant aegri, si podagricos exceperis, quippe qui omni modo student silere, & quiete vti, ne corporis motibus dolores suos saeuiores reddant, quod vel minimus membri motus efficere valet. Dolor febrilis itaque producit tale quid, quod

quod permanentiae in eodem loco contrarium eſt, ſcilicet inquietudinem.

2) ſequitur ex inquietudine, maſſam ſanguineam fortiter commouente, contrarius ſomno ſtatus, vigiliarum nomine notatus. Hae oriuntur vel a praeſentia ſpirituum bonorum, copioſorum, motorum, in neruis, vel ab irritatione neruorum externa, interna: ac ex duabus hiſce conditionibus vigiliarum exiſtentia concipitur. Cum itaque ab influentibus ſpiritibus iterum iterumque retropreſſis in neruis a corpore praeſente, agente, tenſis, ſenſorium commune in dolore febrili ſemper irritetur; ac per hanc irritationem mens ſemper excitetur ad repraeſentandas ſibi iſtas mutationes per agens corpus in corpore factas & exiſtentes: ſtatus autem ille hominis, in quo mens conſcia eſt rerum praeſentium, nomen vigiliarum ſubit: ſequitur, vt ex dolore febrili oriantur vigiliae: Et quamuis interdum prae laſſitudine videantur dormire; tamen hoc fit turbulenter, cum magna inquietudine, ac inſomniis vtplurimum horridis: tali igitur ſomno magis defatigantur, quam reficiuntur aegroti.

3) vti multi motus animi excitati velociorem cordis motum, actionesque animales vehementiores inferunt: ſic quoque dolor vtrumque hoc efficit. Dum igitur velociori motui cordis ſemper ſuccedit ſimilis humorum in vaſis motus, ac pulſus: hic autem aeque, ac ille febrim conſtituunt. Dolor ergo febrilis febrim praeſentem adauget. Sed actio violenta humorum in ſe mutuo & in hos cingentia ſolida, iterumque horum in illos concitat calorem. Caloris itaque augmentum dolorem febrilem ſui cauſam agnoſcit.

4) calor maſſam ſanguineam reſoluit, expandit, aquoſa & leuia eleuat, diſſipat, e corpore per cutis poros eliminat; quo ipſo uero pluribus orbatur liquidis maſſa ſanguinea, huiusce reliqua inſpiſſantur, ac inflammatoria,

toria, naturali contraria, diathesi, ista inficitur. Cum ergo per calorem defectus humorum sufficientium in vasis oriatur; talis vero audiat siccitas: Dolor febrilis producet siccitatem. Sed notum est, humida blanda corpora dura emollitionis capacia, vt flecti possint, efficere; contra eorum defectum id ipsum impedire: hinc sequitur, vt corpora antea flexibilia fieri possint minus flexibilia, si rursus orbentur liquidis blandis, quae in se penetrauere. Ast flexibilitas fibrarum nostrarum dependet a copia humorum blandorum, meabilium, in nostris vasis existentium: isti vero a calore fuerunt dissipati: hinc sequitur, vt calor efficere possit inflexibilitatem fibrarum. At dolor febrilis facit calorem. Ergo dolor febrilis producere potest inflexibilitatem fibrarum.

5) difflantur quoque spiritus simul, commixti massae sanguineae, inque neruos secernendi. Dum igitur ad actiones animales libere exercendas requiritur sufficiens & determinata spirituum quantitas, horumque liber influxus per neruos in organa, quibus istae peraguntur: illa vero per calorem in hoc statu valde imminuitur: sequitur, vt actiones dictae animales libere fieri haud possint. Sed difficultas nata exercendi tales actiones est species debilitatis. Dolorem febrilem ergo progenerare debilitatem posse, manifestum est.

6) calor continuatus, tenuibus, diluentibus, orbatos, spissos nimirum, & celeriter se mouentes, humores alcalica labefactat acrimonia, quae neruos sic vellicat, vt istam aeque ac fibrarum siccitatem sentiamus. Ex qua demum sensatione in nobis progignitur desiderium sumendi, quae ista imminuant, humida. Sed tale desiderium dicitur sitis. Dolor febrilis ergo sibi vendicat causam sitis.

7) eaque ſenſim ad rupturam vſque nerui aucta, redundat hicce ſuperſtitibus, quo minus deſcendant impeditis, & violenter ad ſenſorium commune retrogresſis, ſpiritibus, qui hoc tam fortiter irritant, vt exinde horrenda mutationis praeſentis proficiſcatur in mente repraeſentatio, cum ſubita, quae ſubſequitur, conſternatione animi, & impetuoſiore, & alterna ſpirituum per neruos motorios in motibus animalibus dicatos muſculos impulſione, ſimilis effectus cauſam ſuſtinente, actionis nimirum violentae, inuitae, & alterne repetentis, muſculi. At talis muſculi actio vocatur motus conuulſiuus. Concipitur ergo ex dolore febrili motus conuulſiuus: imo adeo proſtant exempla vomituum, & deliriorum, ex dolore febrili fluentium, quorum vltima, ſi contingant, pro cauſa ſua proximiore agnoſcere poſſunt congeſtionem ſanguinis, violenter in capillares cerebri arterias impulſi.

8) per conuulſiones maſſam ſanguineam calefacientes permulta iſtius tenuia, & ſimul quoque ſpiritus exprimuntur, difflantur. Reciprocus influxus ſpirituum copioſorum in muſculos, & ſanguinis copioſi in caua, cordis, producit robuſtam huius contractionem. Quae cum tres cauſas coexiſtentes agnoſcat, ſpiritus nempe copioſe exiſtentes; maſſam ſanguineam copioſe praeſentem; vtrorumque influxum in dictas partes: ſequitur, vt extenuata quoque vnica, cordis contractio robuſta non amplius fieri poſſit. Tam ante motus conuulſiuos per febrim & calorem, quam in motu conuulſiuo ipſo a dolore febrili genito, magna ſpirituum & reliquorum humorum tenuium maſſae ſanguineae copia conſumta, per conſequens duae contractionis robuſtae cordis cauſae imminutae fuerunt: ſequitur, vt dolor febrilis imminuat contractionem

cordis

cordis robustam. Sed roboris oppositum est debilitas. Dolor ergo febrilis inducere potest cordi debilem contractionem, siue impotentiam contrahendi. Sed quo debilior cordis contractio, eo debilior erit massae sanguineae motus progressiuus, quippe qui & a consistentia massae sanguineae, vasorumque capacitate insuper determinatur; ergo eo debilior actio massae sanguineae in parietes arteriarum, horumque in illam; eo debilior expansio arteriarum; eo debilior pulsus. Dolor ergo febrilis producet pulsum debilem. Concipies exinde quoque caloris defectum, siue quod idem est frigus. Sed quo debilior pulsus, & paucior massae sanguineae copia, eo minor huius quantitas defertur ad cerebrum, & in vasa a corde remotissima, cutanea nimirum; eo minori gradu expanduntur vasa; eo minus pellucida euadunt; eo minus rubor in iisdem visu percipi potest; ergo eo magis pallor. En, vt paucis rem complectar, signa animi deliquii, pulsum debilem, frigus, pallorem. Hinc quaeso dolorem febrilem, animi deliquium excitandi facultate pollentem, iudicabis.

§. XXX.

Quid indicet dolor febrilis, si scire desideras, respicias necesse est ad doloris febrilis locum, gradum, tempus.

§. XXXI.

Cum dolor febrilis sit in parte corporis nostri, tanquam in suo loco; & hic indicet, mutationem quandam partis vel factam esse, vel fieri; pro varietate partis varium est, quod instat, periculum. Hinc generatim memoria tenendum, quod quo nobilior pars, vel minus nobilis, siue ad vitam sustinendam plus, minus, necessaria sit, eo maius, vel minus, periculum timendum. vid. PROSP. ALPINVS, *de praesagienda vita & morte aegrotantium Lib. II. cap. 18. in fin.*

§. XXXII.

Si ad doloris febrilis locum vlterius attendis; erit dictus dolor vel in loco, in quo fuit, cum aeger aegrotare & febricitare incepit; vel non inibi est: Prior casus periculosior est posteriori. Testatur experientia, quod dolor febrilis acutus, isque vel

a) internus in partibus, quae copiosa vasa sanguinis teneriora possident, nobilioribus; vel

b) externus in partibus ignobilioribus, magnam istarum inflammationem notet. *vid. lib. cit. cap. 19. ab init.*

§. XXXIII.

Si dolor febrilis occupat alium locum, quam praecedenti §pho ab initio indicatum; dolor vel occupauit a sui initio statim istum locum, (siue partem) quem iam tenet; vel ex aliis in hunc transmigrauit. In vtroque casu

a) valent, quae antecedenti §pho dicta; in vltimo tamen insuper speciatim monemus,

b) quod, si ex nobiliori parte in ignobiliorem abierit, boni semper, si contra, mali cuiusdam expectationem exhibeat. Hinc dolores acuti febriles externi si in viscera aegri retrocedunt, periculosi: e. gr. in angina absque vlla significatione redundantes in caput dolores cum febre, periculum indicant HIPP. *Praenot. Coac. 372.* phrenitidem nimirum, & apoplexiam, futuram. Et CELSVS *de re medica Lib. II. cap. 6.* dicit: dolores circa coxas & inferiores partes orti, si ad viscera transierunt, subitoque desierunt, mortem subesse testantur; magisque, si alia quoque signa accesserunt.

§. XXXIV.

Dum ex doloris febrilis gradu ipsum dolorem diiudicas; exhibent illi gradus pariter periculi diuersitatem, ita, vt vel maior, vel minor, periculum vel maius,

ius, vel minus, minetur, ac indicet. Dictis his non tollitur, quod nec in vno minori huius doloris gradu periculum maius, quam in maiori, adesse possit: verum hoc e doloris febrilis loco, gradu, tempore, coniunctim sumtis, cognosci potest; minime ex solo gradu. Sic in angina quaecunque conspicuum dolorem non produnt periculi plena sunt, vid. HIPP. *Praenot. Coac. 376.*

§. XXXV.

Indicat quoque nobis aliquid tempus istud, quo dolor febrilis accedit. Nam

a) febrim illico sequens, sui solutionem fieri, si febris soluitur, plerumque indicat.

b) dolor diebus criticis exsurgens crisin febris futuram pronunciat; ea differentia, vt quibus in febribus acutis dolores, rubores, calores, tensiones ad aures, crura, hypochondria, diebus criticis fiunt, bona signa sint. vid. P. ALPIN. *Lib. II. cap. 19.* Simili ratione in febribus acutis dolores capitis, vel & ceruicis, cum temporum grauitate, tenebricosa caligine, invitis lacrimis, rubore faciei, oculorum, venarum pulsatione, pruritu narium, die decretorio, sine lethali signo alio, adparentia, bona plerumque signa sunt: futuram enim imminere arguunt haemorrhagiam; quae, si larga satis erit, vtplurimum febrim; per consequens & dolorem; soluit. vid. BOERHAAV. *aphor. 741.* & HIPP. *in praenot. Coacis & Libb. de morb. popular.*

§. XXXVI.

Cum actio doloris febrilis fit in tempore, & dolor hic agendo mutat partes sanas in morbosas: sequitur, vt quo longius dictus dolor duret, eo plus mutet, & faciat periculi. Hinc dolor acutus febrilis externus, & internus, diu persistens in nobiliori aeque, ac ignobilioris parte, suppurationem, abscessum, gangraenam, spha-

celum, nec minus mortem totius producere valet. Habes igitur etiam id, quod ex duratione doloris febrilis cognoſcitur.

§. XXXVII.

Conſeruare ſanitatem & amiſſam reſtituere eſt medicinae. Poſteriori maxime, apud febrilem dolorem opus eſt. Id ſi per medicamenta intenditur, negotium inſtitutum cura audit. In hac, quae facienda ſunt, praeſentia in aegroto ſigna, quae indicantia dicuntur, mentem medici inſtruunt.

§. XXXVIII.

Aeger priuationem, vel mitigationem doloris febrilis, de quo conqueritur, deſiderat.

§. XXXIX.

Dum igitur nullus effectus phyſicus eſt ſine cauſa phyſica; iſteque nec imminuitur, nec ceſſat, niſi haecce vel imminuitur, vel & aufertur: ſequitur, vt dolor febrilis nec imminui, nec ceſſare, poſſit, niſi huius cauſa vel imminuatur, vel auferatur. At doloris febrilis cauſa, eademque proxima, eſt tenſio nerui vltra modum naturalem, violenta. Ergo, ſi dolor febrilis vel imminuendus, vel auferendus, tenſio nerui vltra modum naturalem, violenta, vel imminuenda, vel auferenda, eſt.

§. XL.

Sed cauſa cauſae eſt etiam cauſa cauſati. Cum cauſa doloris febrilis proxima praeternaturalem, violentam, expanſionem arteriarum capillarium in quadam parte pro ſua cauſa agnoſcat: ſequitur, vt, manente hac, altera (§.XXXIX.) quoque, & huius effectus, maneat. At dolor febrilis depellendus eſt. Impediatur ergo, vlterior, praeternaturalis, violenta, expanſio arteriarum capillarium in parte dolente.

§. XLI.

§. XLI.

Quia nunc expanſio haec violenta capillarium in parte dolente dependet in febre acuta a maſſa ſanguinea, motu naturali celeriore in iſtas mota, rarefacta, huiusque impetu in iſtarum parietes: ſequitur, vt & hicce, & ille, in capillares moderandi ſint. Obtinetur vtriusque moderamen per ſequentia, nimirum

1. Si cordis, & arteriarum, contractioni frequentiori, & fortiori, repugnamus. Hoc fit ablato ſtimulo vtrorumque ad contractionem nimio.
2. Si maſſam ſanguineam quadantenus in alias partes ſanas magis deriuamus.
3. Si maſſae ſanguineae in parte a dolore adfecta liberum tranſitum ex arteriis in venas rurſus conciliamus.

§. XLII.

Stimulatur cor ad frequentiorem, & fortiorem, contractionem, quam arteriarum ſimilis excipit,

1. ſi velocior, reciprocus, copioſus, influxus ſpirituum in muſculos, & maſſae ſanguineae in caua, cordis fit.
2. ſi maſſae ſanguineae acre quoddam admixtum fuit.

Neceſſe ergo erit, vt ſingulae, quae exiſtant, contractionis cauſae diminuantur.

§. XLIII.

Exiſtentes (§.XLII. no. 1.) diminuuntur

1) mitigato, qui offenſus, commotus, perturbatus eſt, animo.
2) imminuta quantitate M. Sneae ad encephalum deferendae.
3) retardato refluxu celeri maſſae ſanguineae in caua cordis.

§. XLIV.

§. XLIV.

Medici eſt, talibus ſemper vti auxiliis, & remediis, quibus tuto, ac cito, morbum depellat. Ergo & noſtrum erit. Proponamus itaque praeſtantes medicinas, & quidem tales, quas etiam indicationes factae adhibere iubent.

§. XLV.

Vt ergo imminuatur moles maſſae ſanguineae imminuenda

1) ſi febris acuta magna; dolor febrilis magnus; in robuſto, exercitato, ſicco, corpore; ante tertium diem finitum doloris febrilis, vbi idem adhuc dependet ab inflammatione pura; ſine ſpe, vel praeſentia reſolutionis, abſentibus ſymptomatibus criticis (a), euacuatione critica (b), quippe quae a natura interdum ſollicite in ſalutem aegri excitantur, ac, ſi praeſentia ſint, incongruis remediis minime turbanda (c), ſed potius conuenientibus conſeruanda ſunt; detractio maſſae ſanguineae, cita, larga, ex magno vaſe partis oppoſitae affectae parti, per magnum vulnus, ac dum fluit, reſpiratione, ſuſpiriis, tuſſi, accelerata, loco affecto, ſi fieri poteſt, eodem tempore foto, & leniter perfricto, inſtituenda, ac continuanda eſt in remiſſionem ſatis notabilem doloris febrilis, vel & ad prima ſigna animi deliquii. Toties miſſio ſanguinis repetenda eſt, quoties dolor febrilis, ac reliqua ſymptomata, ad quae tollenda prima inſtituta fuit, redeunt (d). Si venam, vel arteriam, ſecare aeger vetet, cucurbitulae magnae cum ſcarificatione fortiter trahentes ſunt adplicandae. Per ſcarificationem enim venoſus, arterioſus, ſanguis ſimul educitur. Poſtquam ſanguis prima vice effuſus fuit,

2) Aluus

2) Aluus mox vacuetur clysmate ex decoct: flor: malu: arb. melle & nitro; vel etiam purgantibus antiphlogisticis deglutiendis, vt decoct: pomor: borsdorfianor. cum ficubus vel passulis & cryftall: tart. parato. item decoct: prunor: dulc. cum nitro purif. sale prunell. polychrest. Vel pulpa tamarind. rhabarb. crem: tart. e quibus cum sirup: violar. rosar: solut: cum senna. cichor.: cum rheo. alth. electuaria componi possunt. Haec sanguinem attenuant, soluunt, in lympham mutant, huius secretionem accelerant, & vasa arteriosa lymphatica in canalem intestinorum hiantia leniter ita stimulant, vt in istum euomant copiosius contentum secretum.

(a) vid. BOERHAAV. instit. med. §. 934, 936, 937.
(b) vid. Eiusd. lib. cit. §. 938. Eiusd. aphorismos, 888, 923.
(c) vid. Eiusd. instit. med. §. 939.
(d) vid. Eiusd. aphoris. 890.

§. XLVI.

Retardatur refluxus celer MSneae in cava cordis,

1) quiescentibus musculis, actionibus animalibus destinatis; siue quod idem est, quiete corporis.

2) si viae sanguinis celeriter refluxuri, arctantur. Ob eamque causam post adhibita, quae in (§.XLV.) indicantur, praesidia statim artus vinciendi sunt ligamentis mollibus, moderate constringendis.

§. XLVII.

MSnea in aliam partem magis deriuanda deriuatur

1) per dicta quoque (§. XLV.).

2) robur vasorum in partibus a dolenti remotis parum tollendo: tunc enim sanguinis plus quam antea in dictarum vasa, minus resistentia, introire potest. Adquiritur hoc per

a) balnea, pediluuia, maniluuia, quibus surfures, sem. lini contus. indantur.

D b) va-

b) vapores aquoſos calidos ſuperficiei corporis admotos.

c) emollientia, e. gr. rad: alth. ſymph. glyzyrrh. hb: borrag. portulac. alth. flor: malv: arb. ſambuc. ficus ping. farinam auen. hord. milii cum aqua ſimpl. vel ſero lact. vel lacte in pultem craſſam cocta, pannis laneis inuoluta, e. gr. plantis pedum, regioni poplitis &c. calide adplicata.

d) emplaſtra emollientia, vt de meliloto, ammoniaco &c. vel & fortiter adhaerentia, e. gr. oxycroceum, diaphoreticum Mynſichti: nam collecti ſub emplaſtris vapores corporis humani vaſa cutanea emolliunt.

e) cucurbitulas ſiccas, aere plene vacuas, in varia cutis loca imponendas.

3) iſtis, quae irritando humores adducunt. Sunt talia

α) ſinapiſmus. e. gr. fermentum panis acidum cui ſem: ſinap: contus. ſal comm. & acetum, admixta fuerunt.

β) veſicatoria.

§. XLVIII.

Conciliatur liber tranſitus in parte a dolore adfecta MSneae ex arteriis capillaribus in venas ſimilis generis

1) ſi MSeam a dolore febrili inſpiſſatam, ad permeandum arterias capillares ineptam, aptam reddamus.

2) ſi arteriarum elaterem nimium, anguſtiam, a dolore febrili nata, tollamus.

3) ſi impactum in capillaribus arteriis obſtructis reſoluamus.

§. XLIX.

MSnea inſpiſſata, ad permeandum arterias inepta, apta fit

1. per diluentia, reſoluentia blanda naturae ſaponaceae, nitroſae, interne calide ſumta. Talia ſunt ſucci recenter expreſſi chondrillae, fumar. tarax. endiu. lactuc.

lactuc. gram. tragopog. ſcorzon. cichor: item decocta horum, extracta vario modo exhibita.

2. fouendo febrim moderatam.

§. L.

Arteriarum elaſticitatem nimiam, anguſtiam, tollunt; earumque fibras laxant

a) decocta emollientium (§. XLVII. num. 2. c.) calide pota. item oleum amygd: dulc. recent: preſſ. cum ſaccharo tritum, & ſumtum.

b) clyſteres decoctis (a) ſimiles.

c) & (§. XLVII. num. 2. a, b.).

d) olea recenter expreſſa vegetabilium. e. gr. oleum amygd: dulc. oliuar. lini; vel olea animalium, minus rancida, vt cremor lactis, butyr: inſul. pingued: capon. medul: bouis; vel & vnguenta compoſita e. gr. de alth. popul. quibus partes corporis inungantur.

§. LI.

Imminuta quantitate MSneae (§. XLV.) motae, impactum vrgentis, reſoluitur hoc in capillaribus arteriis obſtructis

1) iisdem (§. XLIX. num. 1.), quae (§. L. a) aſſociare poſſumus.

2) quoque (§. XLVII. num. 2. b & c) parti adfectae immediate admotis.

3) frictione partis dolentis, pannis calefactis ab extremis arteriarum ad harum baſin: ſiue retropellendo impactum motu retrogrado in arterias maiores, (a).

4) quoque (§. XLIX. num. 2.).

(a) vid. BOERHAAV. aphoris. 140. 141.

§. LII.

Dolor febrilis diu continuatus inquinat MSneam acrimonia alcaleſcente. At omne acre MSneae communicatum ſtimulat cor, arterias, ad frequentiorem & for-

tiorem contractionem. Ergo & acrimonia alcalescens. Sed ista est moderanda, alias dolor febrilis non cessat. Opus ergo erit, vt haecce obtundatur. Supprimitur diluentibus aquosis & acrimoniae alcalescenti oppositis. Propterea aegro concedenda sunt

1) malor: aurant: succus, iuiubae, baccae sambuci, cerasa nigra vtriusque generis, fraga, cum aqua simpl: sero lactis, cocta, saccharo, melle, vino Rhenano generoso mista: item potus Limonade.
2) emulsiones ex amygd: dulc. sem: 4. frigid: maior: & min. cum pauco nitro & saccharo confectae.
3) Tincturae e. gr. papau: rhoead. violar. rosar. item spiritus salis, nitri, vitrioli, guttae aliquot cum melle, vel rob sambuci, & suffic: quant: aquae simpl. temperatae.
4) Electuaria ex melle, sirupis, rob sambuc. ribes. succo citri, saccharo, nitro, crem: cryst: tart. parata: item oxymel simpl.
5) Pulueres nitrosi, crem: tart. cum pulu: rad: glyzyrrh.
6) clysmata (§. L. b) similia; & si putredo, & malignitas magna, ipsis oxymellis simpl. vel acet: vin: acerr. modica copia, vel & guttae aliquot spiritus salis aut vitrioli, addi possunt.

§. LIII.

Sed obseruatum fuit, quod medicina non vincat morbum, nisi illi conueniens diaeta adiungatur. Erit autem haec vsus moderatus rerum non naturalium, & conueniens in dolore febrili. Dolore igitur febrili tentatus aeger sedulo munditer habeatur, nec minus eius conclaue. Prodest semper ipsi aer humidus, frigidiusculus, purus, minus foetidus, & putridus. Mutandus vt mutetur, aperiantur paululum sereno die, interdum, fenestrae, ianua: impurum vero corrigite accenso nitro

cum

cum pauco gumm: anime, vel vapore aquae acetique lapidi, s. ferro, candenti adspergendorum. Minime obtegatis aegrum graui lotice. Praebeatis isti in incremento, & ἀκμῇ, morbi, potus ac cibos, facile in nostram naturam mutabiles, non insuetos, tenues, morbo contrarios, saepe, pauca copia, vt potum thee cum lacte: item rad: scorz. endiv. lact. cherefol. spinach. acetosell. acetos. cum gelatinis, iusculis carnis, vituli, caponum, pipionum, cocta: item vitellos ouorum cum iisdem iusculis paratos. Iusculis hisce interdum parum, succi citri, aut aceti, aut etiam vini Rhenani optimi, admisceri potest: in decremento paulo meraciores, magis nutrientes. Quiescat mens, corpus. Aluus aperta, transpiratio insensibilis, seruentur. Si aeger noctes insomnes semper agat, compescuntur interdum vigiliae nimiae susurro leni, assiduo, grato, blande tinnulo (a), demulcentibus, humectantibus.

(a) vid. BOERHAAV. aphoris. 709.

§. LIV.

Haec sunt ea auxilia, quae mitigandum, tollendum dolorem febrilem mitigare, tollere, valent. Gradus, locus, tempus istius, cumque hoc connexa, natura, aetas, aegri, sexus ipse, indicabunt, quaenam eligenda, quo ordine, quando, sumenda sint, vtrum omnia, an quaedam solummodo, adhiberi necesse sit. Vsurpanda sunt tam diu, quam diu iste praesens est. Cessatio plena doloris febrilis cum symptomatibus ab eo excitatis, ac restitutio virium, licet debilium, curae doloris febrilis finiendae sunt indicantia.

§. LV.

Per experientiam constat, quod febris magna, diuturna, euacuationes humorum copiosae, repetitae, vsus nimius humectantium, alimentorum incongruorum post

febris finem cum magno adpetitu ingurgitatorum, vasa, viscera, debilitet, eaque ad morbos chronicos disponat, nisi istorum robur, a cuius existentia tantum generatio humorum, bonorum, sanorum, dependet, restituatur. Meum ergo quoque est, talia medicamina, quibus robur, vasorum, viscerum, per febrim acutam cum dolore, & in hoc remedia, quae ante laudauimus, adplicata, ablatum, in integrum restitui possit, allegare. Perfecte igitur febre, & dolore febrili, finitis, robur corporis totius redintegrari potest

1) interne remediis aromaticis, leniter adstringentibus, singulariter infusis vinosis, tincturis, essentiis spirituosis, vt essent. amara, carmin. B. WEDEL. cort: aurant. cascarill. lignor: balsamica HOFFMANN. tinctura confortatiua: item martialibus, e. gr. tinctura mart: cydon. martis LVDOVICI, cum vino Rhenano optimo data.
2) externe spiritu salu. lauend. ror: marin. antiparalytico, aqua cephal: Carol. V. apoplect: LANGII. Anhaltina: & his similibus, quibus partes corporis foueantur: & spiralibus fasciis, latis, mollibus, artubus inuoluendis.

Interea tales debilitati robur successiue consequentur quoque per motum corporis moderatum, & vsum frequentem, modicum tamen, animalium iuniorum, vegetorum, in vasis bene clausis coctorum, iusculorum similium cum vitellis ovorum, nec minus vini Rhenani optimi, Graeci nigri, Florentini austeri, Gallici rubri acerbi. En! L. B. signa, causas, effectus, praesagia, medelam, doloris cum febre acuta coniuncti

F I N I S.

CLARISSIMO
DOMINO
DOCTORANDO
S. P. D.
PRAESES.

Exhibuiſti mihi diſſertationem tuam inauguralem, CLARISSIME DN. DOCTORANDE, ſimulque etiam atque etiam a me petiiſti, vt eandem TIBI vel plane non, vel admodum parum mutatam redderem. Perlegi itaque TEcum eandem & TIBI demonſtraui, quod mihi TEcum variae theſes, tam ad febrium theoriam quam ipſam medendi methodum potiſſimum ſpectantes, non conueniant, quare etiam ſuaſi, vt mutarentur. Aſt regeſſiſti, TE theſes TVAS e clariſſimorum medicorum ſcriptis & ore, ac praeſertim celeberrimi

BOER-

BOERHAAVII, hausisse, simulque fidem dedisti, TE eas & ore & calamo, si opus fuerit, defensurum esse: ideo TIBI easdem non multum mutatas reddidi, sed pauca solum vel adieci, vel abieci, quae vel perspicuitatem quandam adferre vel eidem obesse possent, spe fretus, eruditam TVAM facundiam id esse praestituram, quod promisit. Caeterum TIBI de bene promeritis honoribus Doctoralibus, quos breui prensabis, ex animo gratulor, Deumque immortalem deuote precor, velit TIBI constantem animi corporisque concedere vigorem & inuidendos in praxi medica largiri successus. Dabam e Museo D. XXV. Augusti M DCC XXXVIII.

